Ego Humbertus et Willelmus fratres et comites Gebennenses. Notum fieri volumus omnibus presentes litteras inspecturis quod
nos concessimus Guichardo de Claro Monte tunc priori sancti Victoris Gebennensis ordinis Cluniacensis quod ipse muniret prout melius ipse
et eius successores vellent et possent in terra de Canpania prope Gebennas quemdam locum qui dicitur Espessi ad prioratum sancti Victoris
directe pertinentem. ad refugium et tutelam monachorum et hominum undecumque venientium partibus ex diversis. nichil penitus
in eo vel eius pertinenciis retinentes. preter hoc solum quod si aliquis in iam dicto castro sive munimine pro suo reatu deprehensus
fuerit. et ab officiali prioris qui pro tempore apud sanctum Victorem instituetur iudicatus. et ad mortem condempnatus fuerit. nudus
solummodo Comiti Gebennensi qui pro tempore fuerit tradatur ad iusticiam faciendam. bonis condempnati confiscatis in utilitatem
prioratus. Providentes preterea ne castrum istud sive munimen depereat carentia defensorum vel custodum. Concessimus
quod prior et monachi sepe dicti prioratus eligant in ante dicta terra de Canpania in ministralia videlicet de Canpania et Car
tiniaco. viginti casalia quecumque voluerint cum hominibus in eis habitantibus ad defensionem castri. qui mansi
ones suas ibidem faciant. et castrum fideliter tueantur et defendant. et prefata viginti casalia cum pertinenciis et homi
nibus cum heredibus et rebus suis et aliis hominibus aliunde venientibus ad castrum libera prorsus ab omni consuetudine et
iurisdictione nostra et calumpnia prior et monachi inperpetuo pacifice possideant et quiete. Et ut locus iste et homines
loci cum rebus suis ingressum egressum et regressum habeant liberiorem. concessimus quicquid continetur a cruce de Avullie sicut
protenditur directe apud Bislay. et ab inde sicut rivus qui vocatur Leschensenes decurrit prope crucem cursum suum perfi
ciens versus Rodanum. cum toto spatio infra dictas metas posito. ad opus castri memorati ab omni consuetudine et
iurisdictione nostra et calumpnia prorsus liberum et absolutum. Iuravimus etiam intuitu pietatis et amore Cluniacensis ordinis
locum istum cum eius pertinenciis et habitatoribus suis et venientibus ad ipsum et redeuntibus ab eodem tueri iugiter
et defensare. Quod ut ratum futuris temporibus habeatur et indiscussum. presentem paginam sigillorum nostrorum muni
mine duximus roborandam. Actum publice apud Gebennas anno gratie millesimo ducentesimo vicesimo. Huius rei
sunt testes. Humbertus et Willelmus comites. Guardus decanus. Willelmus et Petrus et Thomas milites de Uleta. A. de Opeis. A. de Lulie.
Willelmus de Leschal. R. de Turre. R. de Valeres. P. de Pellie. P. de Confignum. Isti sunt milites. Ipse prior Guichardus de Claro
monte. Rodulfus sacrista. P. marescalcus. Boemondus. Herluinus. Borcardus. G. Mestrallus. et Philippus frater eius. Robertus cocus et Bartholo
meus coquus. Giroldus de Sansunay.